

consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
 hic primum ex alto delubri culmine telis 410
 nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
 armorum facie et Graiarum errore iubarum.
 tum Danaï gemitu atque ereptae virginis ira
 undique collecti invadunt, acerrimus Ajax
 et gemini Atridae Dolopumque exercitus omnis: 415
 adversi rupto ceu quondam turbine venti
 confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois
 Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti
 spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
 illi etiam, si quos obscura nocte per umbram 420
 fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
 adparent; primi clipeos mentitaque tela
 adgnoscent atque ora sono discordia signant.
 illicet obruimur numero; primusque Coroebus
 Penelei dextra divae armipotenti ad aram 425
 procumbit; cadit et Ripheus, iustissimus unus
 qui fuit in Teucris et servantissimus aequi
 —dis aliter visum — pereunt Hypanisque Dymasque
 confixi a sociis; nec te tua plurima Panthu
 labentem pietas nec Apollinis infula texit. 430
 Iliaci cineres et flamma extrema meorum
 testor in occasu vestro nec tela nec ullas
 vitavisse vices Danaum, et si fata fuissent,
 ut caderem meruisse manu. divellimur inde,
 Iphitus et Pelias mecum — quorum Iphitus aevo 435
 iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi —
 protinus ad sedes Priami clamore vocati.
 hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
 bella forent, nulli tota morerentur in urbe,
 sic Martem indomitum Danaosque ad tecta ruentis 440
 cernimus obsessumque acta testudine limen.
 haerent parietibus scalae, postisque sub ipsos
 nituntur gradibus clipeosque ac tela sinistris
 protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.
 Dardanidae contra turris ac tecta domorum 445